

### III.

## REGNUM MORTUORUM.

Nro. 91.

---

### *Politica Mortuorum Colloquia.*

---

ElysiuM-Meum.-Die Veneris 29. Dec. 1809. (Neov. 12. Dec. 1809)

---

Pascat Belgā pecus.

*Claud.*

*Colloquentes Manes.*

*Vanepen. — Van der Noot.*

**V**andermoot. Vidistine Josephi Imperatoris isthac prætereuntem umbram? ut acri nos vultu nos intuitus est!

*Van.* An aliter fieri posset?

*Vand.* Fateamur quod res est, lepidam prorsus personam in mundo superiore nos egisse; mihi profanos, tibi ecclesiasticos Status in patria adjuvandi mens, & consilium erat; adhuc ridiculum mihi videtur, dum menti oboritur, ut religiosos mendicantes, aliosque id genus monachos armis instruxeris, nescio uter, illi ne, nosne plus compassione digni fuerimus; profecto Sænnionum Indus!

*Van.* At ex longo tempore in quibusvis Statibus irradicata viguit opinio; Status, id est, illustriores sæcularium, & ecclesiasticorum Toparcharum, populum & Imperantem intercedere, ea ipsa ex ratione Jura populi tuenda, optimumque regimen esse, quod Status

provinciae, aut alios id genus Representantes censet.

— *Vand.* Ipse hujus eram sententiae, at hodie in nostra patria saeculares, aequae ac ecclesiastici Status evanuerunt; luculentum argumentum, Josephi consilia probans. Erat eximius, magnus vir, quod ipsum aegre fero; hac ratione acta ejus ab omni impetitione liberantur, nos — apud posteros ut sanniones in ludo Comico. — Sed ad alia transire lubet, ad nova in mundo superiore.

*Cassela die 7. Dec.* Monitor Westphalicus hodie memorat: Illi ex agmine Schilliano, qui extremo supplicio affecti nos sunt, numero sunt 360, & ad triremes Tolunum abducti; haec justa poena, eos manens, qui in obversum omnis Juris Gentium vires uniunt ad pacem apud gentes, quarum Imperantes bello nullo implicantur convellendam; hacque ratione duplici delicto tenentur, ad versus Civitatem, cujus subditi sunt, tum in eam, cujus territorium violant. Memorable hoc exemplum procul dubio eos docebit: Jus armorum bellicae, ad Jura solum Majestatica & vigore Majestatis illis solum competentis, exerceri posse; quanta aestimatio sinistra fortuna ductis, talibusque Captivis, quos Imperantes agnoscunt, debetur; tanta vilipensione poenaeque digni, qui sui impotentis solum odii dictamini, plurimumque praedocicandi cupidini litantes propria auctoritate arma induunt, atque a vulgo praedonum, quorum opificium tractant, eo so-

lum discrimine notantur: quod uniformem vestem habeant, & numerosiores collecti sint. Solennis memorati exempli nihil præter poenam principali desideraverunt, hanc ignominiam evitabat Schillius, Stralsundæ cui desperatus ignes subiecti iussit, violentas manus sibi injiciens, at jure merito a potius parte hominum & familiarum, quas in ignominiam, ærumnas, moeroremque egerat, impreationes sustinebit.

Alterum articulum ex Univ. Ephemericibus depromere placet; sic sonat.

*Oeniponto die 2. Dec.* Nunc exactis prope septem moeroris plenis mensibus tandem definite asseverare possumus: male faustam seditionem de integro præterlisse. Cæterum exteri longe halucinarentur, si postremum tumultum ulli Incolarum Tyrolensium familiarem existimarent; utprimum a Napoleone assensu probata Amnistia sanotuit, una inter eos vox erat: Tyrolim, de præsentis prompta deditione, gratia exulcerati regis dignam se præstare debere.

Novissimæ turbæ opus solum Hofferi & immediate ejus adjutorum erant &c.

*B o r u s s i a.*

*Berolino 3. Dec.* Vigore rumoris circumcurrentis, Princeps Vilhelmus alterum iter, comite Colonello a *Kreuzmark* suscipiendum habebit.

In argumento legationis supernæ, memorati Colonelli Parisios seqv. explicationem dare lubet: Rex videlicet mutuum in Hol-

landia 40 millionum levare cupiebat, ad quod assensus Imp. Napoleonis necessarius erat, hunc ille petiit, &, ut fertur, absque restrictione impetravit.

Inquisitiones adversus arcium Præfectos, aliosque officiales, ob agendi, durante postremo bello, rationem accusatorum, partim terminatæ, Sententiisque absolutæ sunt. Colonellus Ingersleben plumbea glænda trajiciendus erat. Sed jam regno excessit. Gen. Loc. C. Wartensleben Insignibus ordinis, dignitatibusque orbatus, bonorum confiscatione, & ad perpetuos Carceres damnatus est, quotidianæ ejus intertentioni 4 grossi assignati. Gen. Dux Lecoq. munere privatus, ad vicennes Carceres damnatus, Colonellus rei tormentariæ a Bauman officio exutus, & 10 annis in fortalatio custodiendus. Eadem poena Colonelli ex Cuniculariorum Cohorte. Colonellus Caprici munere privatus tres annos, in arensi carcere exigendos habet.

Multi alii inferioris ordinis Officiales æque privatione muneris, carcereque arensi multati. Nonnullorum aliorum, inter quos & Colonellus Massenbach, causa nondum decisa est.

### G a l l i a.

Parisiis 8. Dec. Heri Pro Rex Italiæ cum conjuge sua advenit.

Secundum Publicistam Antverpia scribitur, ab Anglis Gen. Duci Dumonceau propositio- nem factam esse, tractationem intuitu cessio- nis Valchiæ iacundi.

Diarium Parisiense in dubium vocat relationem: his diebus defunctum Medicum Defournelle 120 annos vixisse, secundum memoratam paginam vix 89 annis senior fuerit.

Vix pax duos inter potentes Status co-  
luit, en novum bellum! at pro fortuna humani-  
tatis non cruentum, inter duas subordinatas  
potentias erumpit. Diarium Imperii in no-  
vissimis paginis suis, auctoribus Ephemeridis  
Francicæ (Gazette de France) multa cum  
acrimonia objectat: Eos ex aliquot mensibus  
singulari industriæ genere ad alienas rationes  
ditescere; dum quotidie summo mane, (qua  
sa incertum) Exemplaria Monitoris Diarii-  
que Imperii ante sibi procurare sciunt, quam  
hæ paginæ publicæ distribuuntur; quo pre-  
tioso spolio locupletata Ephemeris Francicæ  
eodem, quo paginæ tributo adfectæ tempore in  
Collegiis comparat. In exemplaribus prohis  
peculiariter paratis contineri sub epigraphe:  
Cursor extraordinarius, tam nova ex Diario  
Imperii de eodem die, quam officiosi arti-  
culi ex Monitore, & quidem, si prolixio-  
res, excerptim, matura hæc annunciatione  
Ephem. Francicæ simulare voluit, quasi a  
regimine privilegio donata esset. Hoc arti-  
fium militare Dominis Eph. Franc. duplex  
attulit emolumentum. 1) Sumtibus commer-  
cii litterarum cum exteris parcendi, quod  
pro solo Diario Imperii 20,000 Francos  
efficit.

2) Absque fatigio, absque crumena ministerio Collegarum suorum operæ usum faciendi.

Interim abusum hujus Monitori competentis prærogativæ, Jurisque proprietatis attractionem, ut primum innotuit, a Jurisdictione illico abrogatum, interdictumque esse.

His respondent in paginis nudius tertius editis auctores E. F. „Diarium Imperii exorta ex aliquot mensibus copiosissimorum Prænumerantium desertione conterritum, eos accusat: quod Ephemerides ad rationes sui commercii litterarum edat. Et ad hoc respondere sat erit: a se admodum obsoleta nova vulganda fore, si magis, ut culpæ sibi datur, ea ex Diario Imperii, aut aliis Ephemeridibus petere deberent: quod perhibetur, quasi a Jurisdictione inhibiti fuissent; asseverare possunt: nullum aliud decretum, quom quod intuitu officiosorum articulorum quibusvis Ephemeridibus commune, ad suas manus venisse. Cæterum, si auctores Diarii Imperii contendunt: relationes suas 20,000 Franco. sumtu sibi venire; dolore se eos publico in computo & ducendis rationibus videre, satiusque facturi fuissent, 40—60,000 erogare, aliquotque impensis non parcere, ut æque bona, ac auctores E. F. servitia obtineant.

*Sententiâ cujusdam Novorum scriptoris de Ephem. Parisinis.*

*D Anatol. Bichonet, Ephemerides Parisiis editurus indicat: se non tam tetrico stilo*

scripturum, ut *Diarium Parisiense*; neque pedantice eleganti scribendi genere usurum, prout *Diarium Imperii*; nec tam amphigorica prolixitate quemadmodum *Publicista*, nec adeo tepide tædioseque nova propositurum, qualis mos *Commrecii Diario*, neve bullas saponaceas exhalare velle; ad modum *Gazette Francicæ*, neque infinitas Columnas exhibiturum, ad exemplum *Monitoris*; O *Hobbe!* & apud *Ephemeridam* scriptores, *Ilud tuum triumphat: homo homini lupus.* —

### B I O G R A P H I A

*Van der Noot.* Erat *Causidicus* in *Belgio Austriaco*; cum *Josephus Imp.* diversas, multis salutare visas, innovationes in *Belgio* suscipere vellet, seditionem excitavit. A vicinis *Statibus* adjutus, aliquamdiu se tenuit; populus in duas factiones dividebatur, fortior erat *Statuum*, et multi prædominio *Potentiorum* non contenti, *democraticam* formam, qualis tum in *Gallia* viguit, adpetebant, his favebat *Ducalis Domus Abrenberg*, *D. Ursel*, *Gen. van der Meesch*, *Argentarius Walkers*, & *Advocatus Vonk*, qui antesignanum se præbuit *Democrataram*, seu *Vonkistarum*, prout *Vandernoot Dux* erat *Aristocrataram*, a suo nomine *Vandernootistæ* appellatorum; at *pax Austriæ* cum *Turois* auxiliis finem tulit, *Conventioque Hagæ* per *militiam Austriacam* ad *perfectiorem* deducta *pristinum rerum ordinem* restituit, *Vandernoot* a *iquanto tempore* in *Hollandia* usque oberravit, dum in *regione Bredæ* vita cessisset,

*Van Eupen.* Erat Clericus, Juraque Cleri in Austriaco Belgio excitata per Vandernotium seditione defendere conatus est. Vaneupen paullo post in Hollandia vivere desiit.

---

*In hac Typographia prostant venales:*

- Hogyészi, Doctrina Religionis, R. Catholicae, Pars I. de septem novae Legis Sacramentis, de Purgatorio, & Indulgentiis. 1805. 8. 54 xr. Pars II. de Virtutibus Theolog. Fide, Spe, & Charitate, Religione Revelata, ac aliis Fidei orthodoxae dogmatibus. 1806. 8. 1 fl.
- Ars longaevae, hilarisque vitae 1805. 8. 1 fl.
- Fedor, és Mária, vagy a' hóltig-tartó ritka hüség, és a' nagyra vágyásból származott gyászos, de méltó szerentsétlenség tüköre. N. V. Ajtay Samuel által. 1807. 8. 1 fl. 12 xr.
- P. Basilii Alexovics Sermones Sacri, festivales & Dominicales, V. Tomi 8. maj. 8 fl. quivis Tomus separatim a 2 fl.
- Hertzeg Piripionak tündér története írta Wieland után Magyar Földjének mulattatására Fellegváry Ágoston. 8. 1804. 36 xr.
- Wieland, Téli Regi. 8. Posonyban, 1804. 20 xr.
- Theophron, vagy a' tapasztalt Tanácsadó tapasztalatlan Ifjúság hazsnára. 1804. in 8 1 fl. 45 xr. Posta papirosra 3. fl.
-